












ORATIO INAUGURALIS

DE

ORATORE SACRO, LITERARUM DIVINARUM INTERPRETE.

IO. HENR. VAN DER PALM

ORATIO INAUGURALIS

DE

ORATORE SACRO, LITERARUM DIVINARUM INTERPRETE.

PUBLICE HABITA

DIE XX. *SEPTEMBRIS A.* MDCCCVI.

CUM ORDINARIAM POESEOS ET ORATORIAE SACRAE PROFESSIONEM SOLENNITER ADIRET.



LUGDUNI BATAVORUM,
APUD ABRAHAMUM ET JANUM HONKOOP,
MDCCCVI.

ILLUSTRISSIMIS

ACADEMIAE

LUGDUNO BATAVAE

CURATORIBUS

S.

PRAEFATIO.

Aegre admodum me adduci, ad Orationem publice habitam in lucem emittendam, atque ab hoc consilio timore quodam ac tenuitatis conscientia retineri, testantur duae Orationes ineditae, quarum alteram de Literis Hebraicis exornandis, *d.* XI *Junii A.* MDCCXCVI, *cum Linguarum Orientalium & Antiq. Judaicae professionem auspicabar*; *alteram*, de Mohammede, Religionis Islamiticae (*) & Imperii Saraceni Conditore, *Magistratu Academ-*

(*) In *Appendice Narrationis* J. G. TE WATER, V. C. *de rebus Academiae Lugduno Batavae* &c. p. 244, singulari errore typographico, pro *Islamiticae* legitur *Ismaëliticae*.

demico decedens habui A. MDCCXCIX. *Hanc vero, benevole Lector! cujus nunc tibi copiam facio, Orationem, ut sine mora typis describendam curarem, persuasit ratio, de qua in exordio expositum est. Quae enim ejus habendae, eadem & edendae causa fuit. Tu, quaeso, si minus argumenti pertractationem, at Auctoris in re ardua proficiendi voluntatem comproba; ipsumque favore & benevolentia complectere. Vale.*

IO. HENR. VAN DER PALM

ORATIO

DE

ORATORE SACRO, LITERARUM DIVINARUM INTERPRETE.

MAGNIFICE RECTOR!

ILLUSTRES ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES!

CIVITATIS LEYDENSIS PRAETOR, CONSULES, JUDICES, QUIQUE IIS AB ACTIS ESTIS, VIRI HONORATISSIMI!

CLARISSIMI QUARUMVIS DOCTRINARUM PROFESSORES, COLLEGAE CONJUNCTISSIMI!

QUI TRIBUNALI ACADEMICO AB ACTIS ES,
O VIR SPECTATISSIME!

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES PLURIMUM VENERANDI!

QUARUMVIS ARTIUM AC DISCIPLINARUM DOCTORES ERUDITISSIMI!

CIVES, HOSPITES, SUO QUISQUE ORDINE, LOCO, DIGNITATE SPECTABILES!

TU DENIQUE AETATE, LITERIS, MORIBUS, FLORENTISSIMA JUVENTUTIS ACADEMICAE CORONA!

Quandoquidem mos est, in hac Academia receptus, ut qui ad eam, sive primum ad Doctoris Publici officium accedant, sive aucta, vel mutata docendi provincia, novam disciplinam explicare aggrediantur, a solenni Oratione muneris obeundi faciant initium; equidem, ad Poësin & Oratoriam Sacram

etiam Commilitonibus reddendam, cum maxime vocarer, ab hac consuetudine nec possim, nec si possim, velim recedere.

Habet enim illa magnam, non tantum a decore & gravitate, sed & ab utilitate commendationem, cum instituti onis species & ratio universa, ut maxime cuique Doctori propriae sunt, ex inaugurali, quae dicitur, Oratione plerumque cognoscantur, atque ita e scholarum veluti tenebris in lucem proferantur.

Quod si in omni alia doctrinae parte, quam quis tractandam susceperit, utiliter & peropportune fieri censendum sit, ab eo praesertim, qui Oratoriae Sacrae praecepta explanare instituit, jure quodam postulari, atque exspectari posse videtur.

Nam cum reliquae artes ac disciplinae, tantum non omnes, ita suis sint circumscriptae limitibus, ut, quid ad earum naturam perfectionemque perti-

ficat, inter peritos fere constet; hujus unius ratio infinita, vaga ac dubia, ab opinione hominum, a temporum locorumque diversitate pendere, nec certa quadam via duci, certisque regulis contineri videtur.

Hinc igitur tot exortae sunt, ac tam diversae de optimo Orationum sacrarum genere sententiae, quibus non modo de stili colore, a naturali cujusque dicendi facultate maxime derivando, sed etiam de praecipuo earum argumento & universo consilio, atque adeo de ipsis disciplinae fundamentis disceptatur, ita ut, quod huic bonum videtur ac probabile, ab illo tanquam pravum & incongruum spernatur, quodque nonnulli praestans & eximium judicant, id alii rerum dicendarum magnitudine & sanctitate indignum, aut aliis de caussis vitandum fugiendumque ducant.

Quas tantas lites vel componere, vel dirimere, quamvis & ab hac solennitate, & ab hoc dicendi instituto alienum sit; id tamen audientium nemo intempestivum judicabit; Vos autem, VIRI ILLUSTRES! quorum consensu atque auctoritate haec jam in me translata est docendi provincia, (pro quo, aliisque innumeris vestrae erga me benevolentiae documentis, grati devinctique animi publicam accipite testificationem!) id igitur Vos & huic horae conveniens, & ab Academiae utilitate non sejunctum habituros spero, si meam de nobili controversia sententiam, quo optimo modo pro concione Christiana verba fieri oporteat, hac Oratione libere pronuntiem; si praecipuum Orationis sacrae, quo ab omni alia Oratione distinguatur, characterem describam, atque unde, meo quidem judicio, summa ejus praestantia & perfectio repetenda

da sit ac dijudicanda, breviter demonstrem.

Dicam igitur, A. A.! de *Oratore Sacro, Literarum divinarum Interprete*. Vos, quaeso, dicenti auribus animisque adeste!

Non dubito fore quam plurimos, qui, cum me animadvertant statuere, praecipuam Orationis sacrae virtutem ac proprietatem in divinorum interpretatione Oraculorum constituendam esse, mox secum cogitent, nimium illud antiqui studium, quo nihil rectum habeatur vel laudabile, nisi quod vetustum sit & a majoribus petitum, spretis omnibus, quae novitatem redoleant; illud igitur antiqui studium, quod plurimorum hominum animos, & nunc & olim, occupavit, meam quoque tenere mentem, sic autem tenere, ut in artibus etiam ac disciplinis & in literis elegantioribus, quae a pulcri sensu & gustu judicantur, ad duorum triumve, vel

plu-

plurium abhinc seculorum doctrinam, cogitandique & judicandi rationem, si quid in his sapere velimus, recurrendum esse sentiam. Hos mihi videor loquentes audire! Num ergo ad priscam barbariem revocanda est eloquentia sacra, cum omnis elegantia, & ornatus, & sententiarum magnitudo a cathedra Ecclesiae quam longissime recedere jubebantur, atque illustriores adeo Orationis sacrae partes reliquarum sterilitate ac taedio submersae jacebant? Igiturne, missa omni morum doctrina, missaque luculenta & nitida expositione de Deo, de homine, de immortalitate animi, aliisque gravissimis disciplinae sacrae partibus, in vocum phrasiumque forma & potestate exponenda; in exili & jejuna singulorum verborum centies audita, centiesque repetita explicatione; in variarum sententiarum longa & fastidiosa recensione; in refutandi

ar-

argumentandique sterili diligentia; in vana denique eruditionis, undique conquisitae, ostentatione; in his igitur vel ineptis, vel intempestivis commentationibus omnis, quae in Oratore Sacro est, dicendi vis erit consumenda? hac parte cernenda ejus praestantia & perfectio? Apage Doctorem umbraticum, qui artem utilissimam atque amplissimam a sapientiae luce removeat, atque in pulverem scholasticum detrudat!

Gravis est, ut animadvertitis, A. A.! & magno animorum impetu illata criminatio, cui sine mora respondere, omnemque a proposita sententia absurditatis suspicionem depellere, res & instituti ratio postulant.

Nec vero difficile est, ut hinc ordiar, quod de nimio vetustatis amore dicitur, ad veri justique fines revocare. Cum enim facile largiamur, pertinaciae

esse

esse atque illiberalis arrogantiae ita priscis adhaerere institutis, ut, quaecumque nova sunt, quamvis ratione & experientia confirmata, propter unam hanc causam, quod ab antiquo more recedunt, cum supercilio rejiciantur; tum levitatis ac stultitiae esse statuimus, nihil pulcrum ducere aut praeclarum, nisi quod sit recens excogitatum, & cum majorum contemtu conjunctum.

Atque haec quidem breviter dicta sufficerent, ad frangendam, quae ab immoderata priscorum reverentia petitur, accusationis invidiam; nisi fatendum esset, pristinum illud, apud nostrates praesertim, Literas Sacras pro concione Ecclesiastica interpretandi institutum, non semper ita comparatum fuisse, ut justam doctorum hominum reprehensionem evitaret. Saepe enim aut in dictionibus ac verbis, in literis adeo & punctis anxie excutiendis; aut in explicandis, quae nulla explicatione indigerent; aut in

tritis ac vulgaribus obſervationibus ad nauſeam usque recoquendis; aut in congerendo, qui nullius fructus eſſet, inopportuno doctrinae apparatu, tam mirifice ſibi placebant Oratores Sacri, ut utiliſſimarum maximarumque rerum commemorationi aut expoſitioni vix ullus eſſet locus; ita ſcilicet in cortice arrodendo occupati, ut nucleum plane omitterent. Verum haec, A. A! non ea eſt, quam commendare inſtitui, divinorum librorum interpretatio; ſed ſanam, ſed gravem, ſed utilem atque ita comparatam, ut non tantum cum jucunditate & fructu audiatur, ſed audientem trahat ac teneat, ſanctiſſimorum Oraculorum reverentiam atque amorem mentibus inſtillet, ſenſibusque adeo ſublimibus ac plane divinis animos perfundat!

Hujusmodi vero Sacras Literas interpretandi rationem ab Oratione ſacra non modo non alienam eſſe, ſed praecipuam ejus praeſtantiam conſtituere

con-

contendo, atque ita ad ejus institutum & consilium pertinere, ut abesse ab ea sine gravi detrimento non possit, illudque esse optimum pro coetu Christiano dicendi genus, in quo regnet liberalis haec & luculenta Scripturae interpretatio.

Quod ut appareat, primo quidem, quae & qualis sit ista interpretatio, paulo fusius erit exponendum. Deinde summam in ea Oratoris Sacri virtutem contineri, accuratius demonstrandum.

Literarum Divinarum interpretatio, ut cathedrae sacrae conveniat, & ad coetus Christiani fructum atque emolumentum accommodata sit, hoc maxime modo efficitur, cum & *recta* est ac *simplex*, & *concinna*, & *dives*, & denique *elegans* atque *ornata*.

Omnium, quae in interpretatione requirantur, primum ac praecipuum esse, ut *recta* sit & Auctoris mentem probe, & quantum fieri potest ac-

curate reddat, nemo facile in dubium vocet; neque omnino interpretationis nomine inſignienda eſt turpis παρερμηνεια, quae ex Scriptoris verbis quemvis alium, quam verum & genuinum ſenſum extundat. Recte interpretandi facultas eruditione acquiritur, cognitione linguae, morum, hiſtoriae earumque rerum omnium, ſine quarum notitia denſiſſimis tenebris circumfuſa ſunt veterum monimenta. Deinde ſtudio comparatur, in iis eorumque ſimilibus ſcriptis collocato, quorum argumentum aliis explanare cupias. Nec tamen his omnibus abſolvitur egregia, de qua agimus, facultas, niſi accedat judicium, ſanum, integrum, exercitatum, acutum, unde recte interpretandi neſcio quis ſenſus oritur, certiſſimus in hac via dux & comes.

Plerumque autem interpretatio proba & recta a *ſimplicitate* noſcitur; quae maxima ejus eſt commendatio; cum nihil tam planum, tam inventu faci-

cile, tam in medio positum esse videtur, quam difficilis loci felicissima expeditio, in quam tamen nemo incidat, nisi veri rectique sensu & gustu imbutus, atque animo ad amabilem naturae simplicitatem ficto formatoque. Hujusmodi interpretandi simplicitas, incredibile est, quantum Orationi sacrae adferat decus, quam suavi per eam auditorum optimus quisque mentem suam luce perfundi sentiat, quantamque dicenti benevolentiam conciliet.

Verumtamen non diffiteor, saepe fieri, ut qui sic in interpretando veri sigillum, simplicitatem adhibeant, a nonnullis negligantur, aut non suo habeantur pretio; cum haud raro maximos illi ferant applausus, qui non tam docti, quam curiosi rerum paucis cognitarum; (dummodo cognitu dignarum!) atque e vulgi conspectu remotarum sectatores, hanc minutae eruditionis farraginem ad Oraculorum Coelestium illustrationem, ut ajunt, conferant;

 qui

qui non quid verum, sed quid singulare, inauditum, inexspectatum sit curantes, quaecumque non a Persis aut Indis petuntur, dicendi instrumenta atque interpretandi subsidia contemnant. Sed gaudeant hi & pascantur inanibus vulgi acclamationibus! non istae sapientem commovebunt laudes, ut, spreto inaestimabili incorrupti judicii dono, pro veritate fucum, & vana ingenii commenta, aut splendida captet mendacia!

Alterum, quod in interpretatione requirimus, est, ut *concinna* sit. Ad concinnitatem tria refero: *brevitatem*, *perspicuitatem*, *aptum* denique *nexum atque ordinem*.

Omnis oratio, at praesertim sacra, ingentem habet a brevitate commendationem, neque ulla res dicenti magis est inimica, quam longi & verbosi sermonis taedium. In interpretando breves sumus, cum non pluribus utimur verbis, quam quae ad pro-

po-

positum argumentum illustrandum necessaria sunt, diffusioresque excursus & digressiones sedulo vitamus. Deinde cum nihil explicamus, nisi quod indiget explicatione, plana autem ac facilia, aut omnibus cognita, vel obiter tantum commemoramus, vel prorsus intacta praeterimus. Postremo, cum non nimis diligentes sumus in enarrandis omnibus, quae quidem ad illustrandum afferri possint, sed tamen, quamvis non sine aliquo fructu dicantur, sine detrimento reticentur; cumque adeo, iis tantummodo in medium prolatis, quae maxime ad rem faciant, aliquid etiam auditori cogitandum relinquimus. Quod vero non ita intelligendum est, ut ea fas sit omittere, sine quibus explicandae rei accurata notitia comparari nequeat; non enim pro brevitate habenda est nimia concisio, sed potius pro angustia aut paupertate dicendi.

Nimia porro concisione tollitur, quae justa bre-

vi-

vitate adjuvatur, *perſpicuitas*. Cum autem in omni dicendi genere haec prima ſit & praecipua dos, tum facile eſt videre, quam abſurdum ſit, Interpretem, hoc eſt eum, qui alterius mentem planam ac facilem reddere prae ſe ferat, tam obſcura ac difficili dictione uti, ut ipſe ab audientibus non intelligatur.

Perſpicuitas partim a verbis eorumque ſtructura oritur, partim a rebus. Quae a ſtilo pendet, primam poſtulat Interpretis curam, ut & uſitatis atque aptis vocabulis, & facili vocum dictionumque copulatione utatur, cum plerumque in iis verſetur explicandis, quae plus minusve abſtruſa ſunt, aut ſaltem ex umbra in diem proferenda. Verum, quae non ſunt ad auditorum captum accommodata, vel ſumma ſtili ſimplicitate ac puritate, numquam, ut intelligantur, efficiemus. Quare abſtinendum eſt Oratori Sacro ab obſcuriorum per-

tra-

tractatione locorum, praesertim eorum, in quibus explicationis difficultas nulla sensus subjecti gravitate compensatur, atque adeo in hac difficultate superata omnis Interpretis laus conspicitur.

Cum perspicuitate arcte conjunctus est, de quo tertio loco dixi, *ordo*, atque *apta rerum dicendarum connexio.*

Quicumque scriptor in argumenti enarratione justo ordine progreditur, atque ita, ut suo quaeque loco posita inveniantur, initium facit ab iis, quae cogitatione prima sunt; tum sequuntur, quae cum his proxime cohaerent; mox ad sequentia sponte delabitur, atque ita pergendo ultro ac sine labore ad finem perducitur propositum. Hoc si veluti filum in interpretando quoque & commentando tenere & sequi contingat, quanta quamque grata in animo lux oritur! ut in Auctoris mentem intramus, cum eo sapere,

ſentire, loqui nobis aliisque videmur. Hoc ſi lucido ordine procedit Oratio, & primis media, mediis ultima apte connectuntur; ſi brevi praeterea & puro perſpicuoque ſermone nitet, inſtar amnis e limpido fonte fluit, qui, vario anfractu, juxta colles leniter ſerpens, per amoeniſſima prata tandem in mare decurrit.

Praeterea talis ut ſit interpretatio, qualis ad Orationis ſacrae decus & praeſtantiam pertineat, *dives* ſit oportet, ac locuples.

Atque hanc quidem interpretandi ubertatem in ipſa requirimus Grammatica, quae dicitur, loci dictive explicatione. Non enim haec abſolvitur vocum dictionumque ſignificatione ac proprietate reddenda, atque in illum, quo utimur, ſermonem veluti transferenda; ſed digito quaſi monſtranda eſt earum vis, & opportunitas, &, ſiqua ineſt, pulcritudo; ita in Auctoris mentem eſt penetrandum,

ut

loquentem audiamus isto, quo esset cum scriberet, animo affectum. Ad quam copiosae interpretationis rationem consequendam, in antiquitatis cognitione, in morum consuetudinumque ejus aetatis, ejusque gentis, in qua Scriptor vixit, in historiae denique expositione ac luce versari debet Orator, & prudenti ac modica hujus copiae effusione perficere, ut quam longissime absit ortum ex sterilitate & tenuitate dicendi taedium, discendi autem ardor jucunditate excitetur, atque utilissimarum rerum scientia audientes imbuantur.

Verum A. A. in interpretatione Grammatica, quantumvis luculenta & locuplete, non oportet consistere Oratorem Sacrum, sed conjungenda est cum ea, qua praeter verba res quoque, ab Auctore propositae, considerantur, exponuntur, illustrantur. Non enim quid dixerit Scriptor Divinus, sed quam sit id, quod dixit, verum, utile, divinum,

nosse auditorum interest; quod autem in quovis alio Interprete non ferimus tantum, sed laudamus & requirimus, illudne ab Oratore Sacro sejungendum putemus, cujus omnis Oraculorum coelestium explicatio ad utilitatem & salutem hominum est conferenda?

Quidquid igitur est in morum officiorumque doctrina, quidquid est in sanctissimae religionis disciplina, in philosophia etiam & literis elegantioribus; quidquid igitur in his omnibus invenitur, quod gravitate, utilitate, sublimitate ad divinorum Scriptorum majestatem accedat, illud omne ad Interpretis Sacri veluti regnum pertinet: in his argumentis pertractandis non parcus est aut modicus, sed liberalis & multus; in his excurrit, ad haec redit, in his habitat.

Verumtamen, id cum agit, non pro lubitu in proposita dicendi materia vagatur, missis, quae

prae-

legit, Scriptoris Sacri verbis; sed ab Auctore su vix umquam discedit; ad hujus mentem amplificandam, exornandam & clarissimo lumine collustrandam omnia confert; ab hoc dictionis suae colorem, & universae Orationis veluti mores repetit; undique autem elucet, illam, quam proponit, non suam esse, vel sui seculi doctrinam, aut e libris humanis arcessitam, sed a Scriptore Divino profectam, atque auctoritate coelesti communitam!

Denique, ut cum Orationis Sacrae natura conveniat interpretatio, requirimus in ea *elegantiam* & *ornatum*.

Nullam esse dicendi partem, in quocumque genere versetur Oratio, elegantiae ornatusque expertem, res & ratio docent. Nam vel ea, quae natura minimum admittunt ornamenti, variis tamen exprimi & declarari possunt modis, inter quos unus est reliquis aptior, jucundior, atque illustrior.

Nascitur haec elegantia praecipue e vocabulorum delectu, & dictionum exquisitarum usu; tum idonea singularum collocatione, atque universarum quadam veluti structura; est habitus, in magna simplicitate congruus, decens, gratiosus, & favorem dicenti concilians. In hac elegantia omnis est eloquentiae fundamentum, maximaque ejus vis cernitur: quam vero elegantiam cum ad illas quoque interpretationis partes conferre liceat, quae in verborum expositione versantur; tum, quo magis hae ariditatis ac sterilitatis quid admixtum habere videantur, eo magis, ut non injucunde audiantur, stili perfectione efficiendum est.

Verum A. A.! cum neque hac, neque universe Grammatica explicatione, quantumvis luculenta ac divite, Interpretis Sacri officium absolvatur, sed amplissimarum hic, gravissimarumque doctrinarum spatia percurrat, nullum ab ejus oratione alienum

esse

esse ornamentorum luminumque genus, quis est qui non intelligat? Absit tamen omnis luxuries! absint fucati medicamenta coloris & ruboris! nam, ut virum non decet cultus muliebris, sic Orationis sacrae gravitati repugnat nimius nimisque exquisitus ornatus, atque iste veluti fulgor, ad oculos perstringendos magis, quam ad mentem incendendam comparatus. Divinarum interpretatio literarum, recta ac sana, brevitate placeat, simplicitate trahat, concinnitate atque elegantia delectet, copia in admirationem rapiat, sententiarum porro decore niteat, sensuum magnitudine percellat, atque ita afficiat pectus, ut sanctitatis desiderio exardescens, amore divino perfundatur!

Atque hoc illud est interpretandi genus, in quo summam Oratoris Sacri virtutem positam esse, jam paullo accuratius est demonstrandum.

Hanc autem disputationem cum ingrediar, ne tamen

men puteris, A. A! nullam a me Orationibus sacris praestantiae laudem tribui, nisi in quibus Scripturae interpretatio, sicut in corpore anima, regnet. Quis enim non earum plurimas in mentem revocat, quae maximam Oratoris bene, graviter ac tempestive dicendi vim testentur, quamvis in iis doctrinae expositio non sit in explicatione sacri, qui dicitur, textus fundata? Quis, ut hunc tantum nominem, quis non MASSILLONEM in Oratorum Sacrorum referat numerum, etiamsi ejus pro concione Christiana dicendi ratio ab ea deflectat, quam commendandam putemus? Hujusmodi judicandi iniquitatem cum improbandam ac fugiendam esse ducam, tum certum mihi est ac persuasum, majorem utilitatis, gravitatis, sublimitatisque laudem, hunc, hujusque simillimos viros Oratione consecuturos fuisse, si luculentam cum ea & nitidam Sacrarum Literarum interpretationem conjunxissent;

hoc

hoc enim qui agunt, muneris sui & *instituto*, & *utilitati*, & *dignitati* omnium optime satisfaciunt.

Muneris *institutum* ab ultima repetendum est rerum Christianarum antiquitate. Cum primum Apostolorum, constitutorumque ab iis ministrorum cura, Doctrinae Christianae sectatores in separatos a reliquorum sacrorum communione coetus, quos vocabant ἐκκλησίας, singulis in locis congregari coeperunt, cultus quidam Divini Numinis, certis ritibus descriptus, erat instituendus. Hos autem ritus, ad imitationem Jesu Christi, in Baptismi & Sacrae Coenae institutione, a Judaeis sumsisse primos Ecclesiarum fundatores, atque eum praecipue sacrorum, ut & regendi coetus morem, qui in Synagogis obtinebat, induxisse, e virorum doctissimorum observationibus constat. Itaque partim hymnis decantandis, precibus fundendis, doxologiisque recitandis; partim divinorum librorum lectione atque explica-

tione, cum vario exhortationum consolationumve genere conjuncta, solennis sacrorum cultus absolvebatur. Atque haec quidem ratio, per plurima secula, constanti atque haud intermisso usu, ad nostram usque aetatem pervenit. Fateor equidem, variis temporibus, ac pro diversa dicentium vel audientium voluntate, diversoque veluti gustu, in Orationibus sacris vel plus, vel minus, Divinorum Librorum interpretationi tributum fuisse; sed illi ipsi, qui eam quam maxime negligerent, aliquam tamen ejus speciem, haud dubium antiqui moris indicium, semper retinendam putarunt. Quod igitur suo jam dixit tempore JOANNES CHRYSOSTOMUS, magnum profecto nomen! si quis ab Oratore Sacro petat, ut in doctrinae morum expositione magis, quam in Sacrarum Literarum explicatione versetur, eum id petere, quod, qui muneris sui rectam init rationem, facere nec velit, nec debeat: huic igitur

CHRY-

CHRYSOSTOMI dicto uti libenter assentimur, ita certum indubitatumque habemus, quo magis in Orationibus sacris sana atque utilis Oraculorum Coelestium interpretatio regnet, eo propius accedi ad primorum illorum puritatem simplicitatemque temporum, quae sanctitatis charactere insignita, Christiani nominis decus ad ultimos terrarum fines propagarunt!

Verum enimvero A. A.! hoc idem, quod laudamus, institutum, non solum ab antiquitate, sed & ab *utilitate* & fructu summopere est commendandum.

Literis Divinis summum statuendum esse pretium, earumque cognitionem non tantum uberrimum ferre fructum, sed a nemine sine ingenti detrimento negligi, supervacaneum est coram vobis demonstrare. Quaecumque igitur Oratio in his scriptis explicandis, in declarando genuino eorum sensu, in eorum

argumento illustrando, in gravissimis, quae iis continentur, doctrinis enarrandis atque exornandis versatur, tantam audientibus utilitatem adferre censenda est, quantam vix alia ulla Oratio conferre atque efficere possit. Utilitatem auget necessitas; nam sine Interprete intelligi non possunt libri, antiquissimis temporibus, lingua peregrina conscripti, atque ab iis profecti Auctoribus, qui sub alio coelo degentes, aliisque ac nos moribus utentes, stilo etiam & loquendi genere, a nostra aetate quam longissime distabant. Hoc Interpretis munus ab omni aevo Doctori Christiano commissum fuit; quod igitur, qui perficere dedignatur, damnum infert, non quovis alio emolumenti genere reparandum.

Porro, ut Oratio utilis sit, rerum dicendarum gravitatem ac pondus varietate quadam & suavitate veluti temperare oportet. Nisi enim attentionem acuas, & languescentem audiendi animum identidem

dem excites, quantumvis maxima sint, in quorum expositione verseris, argumenta, vix ut in mentem ingrediantur, nedum in ea figantur & haereant, sperare possis. Ad hanc cum suavitate conjunctam in Oratione sacra varietatem, incredibile est, quantum sit in interpretatione subsidii, si lucide, & copiose, & exquisite instituatur, ut, quod ceteroquin summam ab Oratore contentionem atque artem requirit, sic facillima opera comparetur.

Verum, quod majus est, ipsa quoque doctrinae, sive morum, sive religionis expositio, majorem habet vim, & ad animos commovendos efficaciam, cum hoc interpretationis decoro velut amictu vestitur, quam cum nuda prodit, aut petito e philosophorum rhetorumve scholis ornatu instructa. Saepissime enim hujusmodi languet Oratio, quod nimis in infinitum vagatur, neque habet in quo quiescat, ad quod subinde revertatur, sive historiae vel antiqui-

tatis monumentum illustrandum, seu virtutis exemplum commendandum, sive sapientis dictum confirmandum; quibus omnibus nimirum id efficitur, ut nova luce splendeat veritas, ut animum magis capiat, in mentem altius penetret, atque firmius memoriae infixa, eos per totam vitam virtutis sanctitatisque fructus proferre possit, quos alere & ad maturitatem perducere, summus est Orationis Sacrae finis.

Quod si mihi contigerit, A. A.! superius dictis aliquo modo vobis probare meam de optimo Orationum sacrarum genere sententiam, accipite jam ultimo loco, quae pro ea confirmanda ex rei *dignitate*, & dicentis *auctoritate*, petenda sunt argumenta.

Orationum sacrarum hoc fuisse vidimus institutum & consilium, ut partem efficerent cultus sacri & solennis, quem, constitutis ad hunc finem diebus ac locis, Supremo Numini offerre, & solemus, & debemus; partem autem tanto graviorem atque illu-

strio-

ſtriorem, quanto magis reliquarum nonnullae, ſive temporis lapſu, ſive hominum incuria ac negligentia, paſſae ſunt majeſtatis imminutionem.

Quaecumque vero pertinent ad ſacra publica, non arbitrio reguntur aut voluntate hominum, ſed certis conſtant legibus, quas qui infringat, rituum tollat dignitatem ac reverentiam. Jam convertite, quaeſo, mecum oculos in coetum illum & conventum Chriſtianorum, unanimi conſenſu congregatorum, ut in auguſtiſſimo loco Supremum Numen publice venerentur, ut Divini Servatoris in humanam gentem beneficia ac merita ſupplices recordentur, ut gratam pro innumeris bonis acceptis mentem teſtentur, ut fiduciam in Deo collocent, malorum conſolationem quaerant, rerum divinarum cogitatione animum expleant, & fractis veluti corporum vinculis in immortalitatem evolent! Quis eſt, qui huic coetui in tantis Sacris obeundis praeeat, qui hos ſenſus

sus in singulorum pectoribus alat, omnium animos ad tantas spes erigat? Prodit Orator, non qui animi causa, ut placeat, ut delectet, ut sui admirationem pariat, bona & utilia dicendo exponat; sed Orator Sacer, qui, tamquam augustissimarum cerimoniarum Antistes, solennem actum regat, atque animet, a cujus ore pendeant, quicumque religionis vel incitamenta petant, vel solatia! Unde autem dicendi sumet materiam hoc loco, hoc coetu & conventu dignam? Id nimirum perinde erit, quid, & quo modo, & quo auctore dicat, dummodo bene vivendi tradat praecepta, de religione & officiis exponat? At haec, quamvis magna, & in Philosophorum Scholis egregia, non explent tam solennis actus majestatem! Hac perculsus, quidquid in arbitrio positum, quidquid humanum est, nec divina auctoritate confirmatum, se, suoque munere, suisque auditoribus indignum judicat, atque infra se positum

cer-

cernit ac despicit Orator Sacer. Quo vero se converret? quod ipsi principium erit, qui fons dicendi? Unde petet sententias, & argumenta, & tantis rebus convenientia verba? Num aliunde, quam ex Oraculis illis Divinis, omne verum, bonum, sublime complectentibus, omne Dei de mortalibus consilium aperientibus, omnem ejus benignitatem, sapientiam, sanctitatem, infinitam naturae excellentiam demonstrantibus, inque eo, quod ad hominum dignitatem, animi tranquillitatem, & aeternam salutem pertinet, omnia humana scripta longo post se intervallo relinquentibus! In his cum versatur explanandis atque illustrandis; horum notitiam cum auditoribus praebet amplissimam, praestantiam laudat, reconditam sapientiam in lucem profert, doctrinae puritatem, gravitatem & coelestem originem cum demonstrat; virtutis praemia & aerumnarum so-

lamina, & maximas spes exspectationesque, mortalibus factas, cum ex his libris depromit, divinorumque scriptorum sensus in audientium mentes veluti transfundit; quanta, sic animatus & instructus, quamque nobili cum παῤῥησίᾳ ad concionem verba facit Orator Sacer! quam non suo, sed ipsius Dei nomine loqui sibi videtur! quam purus in ejus pectore exardescit ignis! quam sanctas ad coelum tollit manus ac preces! .... Quid multis A. A.! hanc summam esse Orationis sacrae virtutem ac praestantiam, & cultus divini majestas testatur, & vester omnium sensus confirmat.

Ad tantam praestantiae laudem, Commilitones Humanissimi! ut contendatis, eamque ut aliquando consequamini, nulli parcatis operae nec studio, auctor vobis suasorque sum. Habent enim dignum labore praemium, atque ita vobis continget adeo esse

esse felicibus, ut in gravissimo, sanctissimoque munere, Deo hominibusque, gratos acceptosque vos reddatis, & ampla recte factorum mercede in hac & perenni vita fruamini! Ita velit, ita faxit Numen Supremum!

DIXI.

